

[1] Iterum tū mihi tē pusillum facis et dīcis malīgnius tēcum ēgisse nātūram prius, deinde fortūnam, cum possīs eximere tē vulgō et ad fēlicitātem hominum māximam ēmergere. Sī quid est aliud in philosophiā bonī, hoc est, quod stemma nōn īnspicit; omnēs, sī ad orīginem prīmam revocantur, ā dīs sunt.

[2] Eques Rōmānus es, et ad hunc ōrdinem tua tē perdūxit industria; at meherculēs multīs quattuordecim clausa sunt, nōn omnēs cūria admittit, castra quoque, quōs ad labōrem et perīculum recipiant, fastīdiōsē legunt: bona mēns omnibus patet, omnēs ad hoc sumus nōbilēs. Nec reicit quemquam philosophia nec ēligit: omnibus lūcet.

[3] Patricius Socratēs nōn fuit; Cleanthēs aquam traxit et rigandō hortō locāvit manūs; Platōnem nōn accēpit nōbilem philosophia, sed fēcit: quid est quārē dēspērēs hīs tē posse fierī parem? Omnēs hī māiōrēs tuī sunt, sī tē illīs geris dīgnum; gerēs autem, sī hoc prōtinus tibi ipse persuāseris, ā nullō tē nōbilitāte superārī.

[4] Omnibus nōbīs totidem ante nōs sunt; nullīus nōn orīgō ultrā memoriam iacet. Platōn ait nēminem rēgem nōn ex servīs esse oriundum, nēminem nōn servum ex rēgibus. Omnia ista longa varietās miscuit et sursum deorsum fortūna versāvīt.

[5] Quis est generōsus? Ad virtūtem bene ā nātūrā compositus. Hoc ūnum intuendum est: aliōquīn sī ad vetera revocās, nēmō nōn inde est ante quod nihil est. Ā prīmō mundī ortū ūsque in hoc tempus perdūxit nōs ex splendidīs sordidīsque alternāta seriēs. Nōn facit nōbilem ātrium plēnum fūmōsīs imāginibus; nēmō in nostram glōriam vīxit nec, quod ante nōs fuit, nostrum est: animus facit nōbilem, cui ex quācumque condiōne suprā fortūnam licet surgere.

[6] Putā itaque tē nōn equitem Rōmānum esse, sed libertīnum: potes hoc cōsequī, ut sōlus sīs liber inter ingenuōs. ‘Quōmodō?’ inquis. Sī mala bonaque nōn populō auctōre distīnxis. Intuendum est nōn unde veniant, sed quō eant. Sī quid est, quod vītā beātā potest facere, id bonum est suō iūre; dēprāvārī enim in malum nōn potest.

[7] Quid est ergō in quō errātur, cum omnēs beātā vītā optent? Quod īnstrūmenta eius prō ipsā habent et illam, dum petunt, fugiunt. Nam cum summa vītāe beātae sit solida sēcūritās et eius inconcussa fidūcia, sollicitūdinis colligunt causās et per īnsidiōsum iter vītāe nōn tantum ferunt sarcinās, sed trahunt; ita longius ab effectū eius, quod petunt, semper abscēdunt et quō plūs operae impendērunt, hōc sē magis impediunt et feruntur retrō. Quod ēvenit in labyrinthō properantibus: ipsa illōs vėlōcitās implicat. Valē.